DE HISTERISMO PUBLICE LEGEBAT IN CAES. R. ARCHIGYMNASIO PATAVINO AD...

Paolo Cantilena

DE HYSTERISMO

PUBLICE LEGEBAT

IN CAES. R. ARCHIGYMNASIO PATAVINO

AD MEDICAM LAUREAM

RITE CONSEQUENDAM

PAULUS CANTILENA

BELLUNENSIS

PATAVII

EX TYP. CRESCINI

MDCCCXLVII

O SOAVEMENTE CARISSIMI GENITORI

FORTI NELL' AMORE DEI FIGLI

SOLERTI NELLE CURE DI ESSI

POVERA COSA È QUEST' ARRA

DEL RICONOSCENTE FIGLIUOLO

MA V' AMA EGLI PUR TANTO

Hysterismus, morbus obscurus, de quo tot et tanti medici scripserunt, quin nemo ipsius naturam declarare valuerit, plurifariis phaenomenis se prodit, ad systema nervosum pro magna parte referendis, quibus inest insignis morbi character, summa versatilitas. Denominatio, a graeco vocabulo ὑστέρα, (uterus) originem duxit.

Ratione habita ad organa, quae adfecta potissimum videntur, duo symptomatum ordines distinguere opus est, quorum prouti alteruter praevalet, varia exhibetur forma morbosa. Alter symptomata quae viscerum abdominalium atque thoracicorum functiones, nec non eorum sensibilitatem et contractilitatem respiciunt, potissimum amplectitur; alter vero quae functiones axis cerebro-spinalis et motum voluntarium aberrantes testantur, in primis comprehendit. Utraque ergo vita, animalis nempe et organica, eminentius tamen modo haec modo illa, hic patitur.

En quae immortalis Tommasinius recensuit phaenomena hujus morbi, ad primum ordinem in primis pertinentia:

„Uno sguardo atteggiato facilmente alla sorpresa, al sospetto, allo spavento, siccome a qualunque genere di forti passioni, mobilità grande in tutto il sistema nervoso, e facilità somma dei muscoli a convellersi; cangiamenti istantanei del morale, e facile passaggio senza causa sufficiente e manifesta dalla contentezza al risentimento, dalla piacevolezza alla concentrazione, nessuna regola in quanto al sonno ed alla veglia, ed eguale irregolarità nelle secrezioni od escrezioni, sensazioni ora di soffocazione e di stringimento alle fauci, ora di mancanza e di dolori reali ed esagerati sviluppantisi all'improvviso, come cessanti da un momento all'altro, anche senza il soccorso dell'arte: fenomeni in apparenza gravi o al capo od all'epigastrio o all'utero, con polsi intanto perfettamente tranquilli.„

Aliud symptoma ejusdem ordinis hysterismum comitans, et quidem hujus morbi pathognomonicum, sic dictus ab auctoribus *globus hystericus* sistit. Nil aliud est nisi peculiaris sensatio, per quam fere globulus ex abdomine adscendens ad pectus faucesque accedere, atque deglutitionem provocare videtur. Interdum, sic dictus *clavus hystericus* quoque habetur, interdum quidam in abdomine sensus, sicuti mola ibidem adesset in gyrum circumducta. Uterus etiam in functionibus suis a recto tramite recedere potest, ita ut catamenia modo inordinate fluant, modo adamussim

suspendantur, vel ponderis sensus, vel quoque calor immodicus ac dolor in illa regione evolvantur. Saepissime hisce phaenomenis permolesta adjungitur cordis pulsatio, nec non aortae abdominalis atque coeliacae; quam ob rem medicus in errorem facile ductus non raro de aneurysmate judicium facit. Aliquando et febris ingruit. Tommasinius in hysterica etiam strabismum observasse refert.

Ordinis secundi symptomata, convulsiones plus minus graves sistunt, quibus interdum ipsa apoplexia accedit. Horum symptomatum gratia factum est aliquando ut hysterici accessus cum morbi comitialis accessibus confunderentur; sed in hysterismo nunquam ex ore spuma effunditur, neque facies adeo collabitur, monentibus Rostan, Broussais caeterisque clarissimis, uti in epilepsia plerumque contingere solet. Convulsiones autem in hysterismo alterum corporis latus vehementius ac alterum contorquent. Asphyxia aut mors adparens gradum extremum constituit, ad quem hysterismum perduci potest, et reapse, etsi perraro, ipsa miserrimam accessus scenam claudit, ita ut mulieres plures hocce in statu, tamquam cadavera datae fuerint ad sepulturam, aliae, stupro temeratae a scelesto pudicitiae corruptore, conceperint. Hic morbus cum nymphomania quoque copulatur.

Plures auctores hysterismi causam inquisiverunt, et cum a veteribus morbus asthenicus uno animo retinetur, complures e contrario inter recentiores eum sthenicae indolis arbitrantur. Nos vero existimamus istam adfectionem saepe saepius cum peculiari nervosi sy-

stematis statu connecti, cujus phaenomena mera hypersthenia aut hyposthenia incommode explicarentur.

Areteus et Soranus hysterismum a motibus uteri abnormibus pendere autumaverunt, et, sicuti ipsi scripserunt, a sua loci mutatione.

Sydenham hysterismo omnia tribuit symptomata quorum explicationem admodum difficilem credidit.

Georget, qui hoc argumentum valdopere perlustravit, hysterismi sedem esse in cerebro docuit.

Foville et Broussais, cuncta symptomata ex uteri adfectione originem habere opinantur; et horum ultimus accessum hystericum, digiti ope uteri collum attingendo aut ovarii regionem ruditer comprimendo, se movisse testatur.

Nonnulli quoque morbum de quo sermonem habemus a phlogistica ganglionici systematis conditione oriri judicant, observationi innixi, quod in eo sensus internus non tantum exaltatur, sed etiam notabiliter pervertitur.

Celeberrimus Tommasinius hysterismum nil aliud esse, nisi vel uteri vel ovariorum adfectionem, in mulieribus peculiari systemate nervoso instructis sententiam tulit. En ejus verba super hoc argumentum: "Voi già sapete essere mia opinione, che questa spesso spaventosa infermità abbia nel maggior numero dei casi il suo maggior fondamento nella primitiva costituzione, o nello stampo del sistema nervoso, e possa quindi considerarsi legata ad una condizione o disposizione organica. „

Si phaenomena organis accurate referamus, atque

anatomen pathologicam in auxilium vocemus, error Georget, qui hysterismi sedem in cerebro locavit, dum e contrario hujusce organi adfectio secundaria manifestatur, facile nobis elucebit.

Organa in corpore haud habentur (ipse scripsit) quae minus in nexu cum caeteris partibus existant, quam uterus et ovaria. Ex autopsia cadaverica veterum mulierum perraro fit, ut organicae alterationes his in partibus non occurrant, etsi illae mulieres ne leven quidem hysterismi gradum passae sunt; praeterea nec cancer, nec polypi phaenomena, quae hysterismum designant, producere solent. Ipse in faeminis luculenter hystericis uterinas functiones, nempe menstruationem, graviditatem et caeteras, perfecta regularitate expleri vidi; et Villermay nunquam in iisdem uterum dolentem invenisse affirmat. Nunc quibus signis, quaeso, uteri adfectio in hysterismo dignoscitur? Addendum est me nullam faeminam hystericam audivisse culpam aegritudinis suae in uterum vertere.

Sed istius auctoris argumenta non sat firma videntur, neque hercle, quia nec uteri cancer aut polypi, nec ovarii hydrops hysterismum progignunt, hunc morbum ab utero esse alienum concludere licet. Habebimus ne testes a sexuali fervore alienos, ex eo quod nec eorum cancer, nec hydrops in vaginale nec hydatides in funiculo spermatico, priapismum ciere solent? Quoad circa veterum faeminarum necroscopiam, medicus gallicus asserit, haud sane inficiamur, cum in iis principales uteri functiones atque consensus siluisse noscamus: ipsae ab hysterismo non divexantur,

eadem ratione qua menstruationi et graviditati obnoxiae non sunt. Sed organicae alterationes, de quibus Georget mentionem facit, sicuti tot indicia summam uteri efficaciam testantia in alia vitae periodo jure meritoque censenda sunt. Nec quid absurdi vel insoliti conspicimus quoad regularitatem uteri functionum, dum hysterismus viget, quam Georget pluries adnotavisse defendit. Quis enim hujuscemodi facta abstrusa quotidie iu medica praxi recurrere ignorat? Quis ab eis profundas, quibus obducuntur, tenebras diepellere valet? Felix qui nexum obscurum inter varia organa intercedentem detecturus, viam nobis pro morbis tum in gradu, tum in qualitate vitae dignoscendis explanabit! Sed hoc perdifficile hodierna videtur die. Nullius denique momenti ultimum argumentum puto, quo Georget opinionem suam suffulcire conatur, nullam se nempe faeminam hystericam vidisse suum morbum utero tribuentem; plures enim auctores contrarium confitentur. Caeterum ex aegrotantibus et in primis ex iis qui, sicuti hystericae, ob systematis nervosi aberrationem, sensibilitate normali carent, notiones profecto sumendae non sunt ad morbi naturam dyudicandam. Hujus auctoris error circa hysterismi sedem probabiliter ab hoc exortus est, quod ille convulsiones clonicae sicuti praecipua morbi symptomata solummodo consideravit; sed nos alia ac convulsiones, et quidem hysterismi pathognomonica phaenomena, monentibus clinicis, recensuimus.

Nos ergo sententiam in quam Broussais, Foville et Tommasini us simul eunt, idest uterus et ovaria cen-

tra sistere e quibus cuncta majoris pretii symptomata in hysterismo proficiscuntur, sine ulla dubitatione, pro certa suscipiemus. Uterus duplici relationum nervosarum serie fruitur. Systematis ope ganglionaris, cum abdominis nervoso adparatu atque respondentibus organis stricte nectitur : proinde adfectio, qua ipse vexatur, haecce in organa aliquem influxum et quidem insignem, necessario exerere debet; hujusque influxus a doloribus, contractionibus et secretionibus gazosis clara et perspicua signa nobis porriguntur. Praeterea tympanites et bolus hystericus nonnisi ab eadem causa scatere videntur. Ecce prima forma morbosa.

Relate ad alteram, quemdam nexum referre possumus inter vehementiores convulsiones et uterum. Sub ipsis axis cerebro-spinalis in compassionem deductus malum uteri adfecti influxum palam facit; argumentum autem ad hanc relationem comprobandam summopere idoneum retro attulimus e Broussais desumptum, qui, uti diximus, cum uteri collum in faemina hysterica titillasset, violentas et repetitas convulsiones suscitavit; insuper quemnam latet hoc organon, plurium nervorum, quibus instruitur, gratia, cum centro nervoso arctissime devinciri?

Interdum vero sub diuturna symptomatum constantia, sub pertinaci eorum persistentia adeo sensibilitas exaltatur, atque talem nervosum systema typum morbosum adipiscitur, ut quamvis uterus principalis morbi causa non amplius retinendus sit, phaenomena hysterica nihilominus eodem in gradu perseverant.

Et necroscopiae quidem statutam hysterismi sedem plane confirmant. Tommasinius revera, qui complurium hystericarum viscera diligenter investigavit, aperta adfectionis uterinae signa, ut turgorem, induritionem et caetera hujuscemodi saepissime nactus est; nec praetereundum quod ipse clarissimus auctor in muliere quae hoc morbo a longo tempore perduranti, atque ad summum tabis fastigium evecto perierat, ovarium sinistrum animadvertit volumine et crassitie insigniter adauctum cum patefactis phlogisticae vegetationis indiciis. Ego praeterea recordor praeceptorem clinicae nostrae patavinae, in mulieris sectione hysterismi symptomatibus duobus abhinc annis demortuae, ovaria a maxima suppuratione penitus destructa eorumque loco duas vesicas pus recipientes, stupentibus alumnis ostendisse.

Nunc de causis.—Aetas a decimo quinto ad annum trigesimum quintum, temperamentum nervosum, dysmenorrhoea, amenorrhoea, habitus corporis delicatus et illa systematis nervosi conditio optime a Tommasinio descripta, et supra relata, hysterismi evolutioni favent. Insuper amor frustratus vel quacumque ratione impeditus, zelotypia, connubium praecox, sermones voluptuosi, opera erotica, coitus abusus vel abstinentia, aerumnae familiares, emmenagoga incaute adhibita, traumata uteri vel distensio a graviditate producta tot causae occasionales hysterismi habendae sunt.

Quoad prognosim, cum summa organorum affectorum dignitas morbique ambigua natura expendatur, atque maxima difficultas ad trutinam revocetur,

in qua medicus versatur, illam constitutionem nervosam debite mutandi, cui morbus intime haerere videtur, dubium superesse nequit, quin hysterismus ancipitem prognosim, generatim loquendo, exposcat, etiamsi perraro vitam eripere valet. Illis tamen in casibus in quibus levis adparet, a brevi tempore extat, nec faemina systema nervosum eminenter ad hunc morbum propensum praesefert, edicere prognosim feliciorem, ac aliquam spem de sanitate habere conceditur.

Relate ad curam. — Ante omnia si fieri potest causae sunt auferende, complicationes (e. g. verminosae) removendae, dein, si plethora aut phaenomena inflammatoria evidenter urgeant, ad phlebotomiam aut hirudinum adplicationem devenire licet. Observatum autem fuit, interdum sanguinis missiones sive generales, sive locales, non solum nullum morbo attulisse levamen, sed e contrario eum graviorem fecisse, ideoque attente systematis nervosi conditionem examinare, indeque decernere opus erit, utrum ipsum sanguinis missiones ferre queat, an non; plures enim occurrunt morbi hujusce systematis, sub quibus venae sectiones aegrotantibus maximo detrimento sunt.

Nimia et perversa individui sensibilitas solatiis, consortio hominum dilectorum, matrimonio cohibetur. Balnea frigida, diaeta lactea, corporis exercitia, equitatio, itinera laudantur. Sub accessu convulsivo aegram a laesionibus, quas propter mentalem aberrationem sibi comparare posset, tueri praesertim oportet: ad accessum autem coercendum maximo emolu-

mento aether sulphuricum in usum trahere nuperrime vidi.

Remedia magis laudata hoc in morbo sunt valeriana, arnica montana, assa foetida, amara et ferrum. Opium quidem locum inter medicamina antehysterica obtinuit, et potissimum ejus principium alcalinum cum acido acetico copulatum, videlicet acetas morphinae. Praeterea aqua cohobata lauri cerasi, squilla maritima vel digitalis, ubi actio systematis sanguiferi intensius ferveat, tempore apposito exhiberi potest: juxta autem organon, quod primitus et eminenter aegrotare videtur, alterutrum ex istis medicamentis seligere convenit. Ultimis temporibus etiam electricitas celebrata fuit, sed, quaeso, quonam in morbo electricitas sicuti therapeuticum auxilium laudes adepta non est? Nihilominus, quum nonnulli ex recentioribus actionem nervosi systematis electro-magnetismi ope explicaverint, cujus potentiae influxus, quomodocumque res se habeat, magni quidem momenti esse debet in phaenomenis nervosi systematis gubernandis, credimus argumentum sat validum habere, ut hoc quoque adminiculum adhibeatur, sive acuum-punctione, sive pila valtaica; eoque magis in hac sententia confirmamur, rati nonnullos medicos illustres uti Coster, uteri adfectiones ejusque etiam tumores electro-magnetismo penitus sanavisse.

Nunc, priusquam huic opusculo finem imponam, ad majorem rei illustrationem, aliquid de hysterica dicam, quae anno elapso in clinica patavina suscepta, meis curis a clarissimo praeceptore Corneliani tradi-

ta fuit, et aliquid peculiare praeseferebat, tum relate ad diagnosim, tum ad curam. Aegra duos menses circiter in clinica detinebatur, deinde sanata discedebat. En paucis verbis historia. Quum domi nimio studio sui muneris curandi se pluries coeli inclementiae exposuisset, accidit, ut catamenia de improviso cessarent. Tunc variis turbis nervosis, videlicet artuum tremore, epigastrii doloribus, caeterisque hujuscemodi adfici coepit, ita ut artem lotricis, quam exercebat, intermittere, ac lectulo cubare saepissime cogeretur. Illae molestiae, plura frustratae medicamina, in gravem morbum abierunt, qui a duabus venae sectionibus domi peractis, majorem intensitatem et vehementiam accepit.

Ingrediebatur in clinicam die XIV decembris anni 1845 et sequentia praeseferebat. Mulier annos nata triginta erat temperamento sanguineo-nervoso praedita ac sat firma corporis constitutione. Caput dolore constringenti torquebatur. Cor vehementiores, quam par erat, pulsationes edebat. Regio epigastrica dolore excruciabatur, qui sub pressione valde intensior fiebat; praeterea sueti globuli hysterici sensus subinde manifestabatur. Eodem tempore haud raro abdomen in gyrum duci tamquam mola videbatur. Abdomen autem aliquem meteorismi gradum tactui praebebat, et aegrotans a ponderis sensu in regione uterina detineri testabatur. Denique pulsatio sentiebatur valde conspicua ad regionem coeliacae arteriae.

Praestantissimus professor pulsationem dictae arteriae signum sistere adnotavit arteritidis abdomi-

nalis lentae, quae ad uteri arterias diffusa, eo in organo mutationes produxit, e quibus symptomata hysterismi oriuntur. Denominatio morbi fuit:

Arteritis lenta abdominalis in faemina hysterica.

Primo, aquam cohobatam lauri cerasi praescripsit, quippe quae duplici satisfaciebat indicationi, tumultum vasorum refraenandi, atque nervorum conditionem corrigendi. In posterum et purgantia quidem, pro enterica irritatione moderanda, ubi opus fuit, adhibita fuere; quum autem mucosa abdominalis, quae aliqua pollent virtute irritanti, remedia ferre potuit absque detrimento, tunc digitalis in usum tracta est.

Oxydum quoque bismuti in auxilium vocatum summo cum aegrae levamine; tandem mars, menstruatione composita, ad sanitatem aegram restituit.

Si mihi aliqua praxis subveniret, et paucas meas observationes emendaret, argumenta tum pathologica, tum therapeutica diffusius disputare rectiusque disponere curassem; sed ea prorsus deficienti nil aliud datum fuit, nisi studiis alienis, quam optime potui, proficere.

THESES DEFENDENDAE

1. *Vis vitalis organisationi contemporanea putanda est.*
2. *Activitas nervosi systematis major vel minor physiologicae ipsius evolutioni semper respondet.*
3. *Electricitatis maximus influxus est in nervorum actione.*
4. *Vitae augmentum vel imminutio in morbis nonnisi extremus catenae phaenomenorum organicorum annulus est.*
5. *Quis in judicanda remediorum actione* juvantibus *et* laedentibus *practicorum innititur, rarius fallitur.*
6. *Actio chemica substantiarum in organica mixtione perspicue aliquando patefit.*
7. *Dolor modo vitalitatis depressionem, modo orgasmum vitalem et ipsam phlogosim gignere potest, imo et materialem qualitatis differentiam.*
8. *In morbis irritativis methodus fortiter debilitans est refellenda.*

9. *Adparens roboris status, post curam antiphlogisticam valde activam, saepissime illusorius est.*

10. *In morbis nervosum systema adficientibus, quum venae sectio exposcatur, reactionis organicae momentum expectare oportet.*

11. *Ulcus in pulmone circumscriptum, vel unicum tuberculum sanari aliquando potest.*

12. *In sectione hominis veneno perempti, toxicum in vena portarum vel hepate persaepe occurrit.*